

co, ne rima detur, quæ aquis aut aëri concedat aditum; Ne dis-  
crepent nimis à stipitis naturâ surculi in tempore generandi  
flores & fructus, futurum alioquin, ut vel citius, vel tardius sup-  
peditet alimentum truncus, quàm surculi poscat natura. Neq;  
verò integer semper sumendus surculus, cum vel exigua parti-  
cula oculo prædita idem præstet. Pars enim aliqua surculi præ-  
ciditur, lignum eximitur & cortex oculo constans alteri arbori  
delibutæ infigitur. Nec quicquam ad rem, facit lignum, sed  
oculis & gemmis deferenda singula, undè rem ipsam vocant  
*ἐνοφθαλμισμὸν* inoculationem, tantoq; sæpè res successu per-  
agitur, ut inoculatio insitioni præripat palmam. Sic nova ar-  
bor generatur, matri suæ caudice, cortice, ligno, medullâ, ra-  
mis, foliis, floribus, fructibus simillima. Hinc termino am-  
pliato ab istâ primâ significatione ad multiplicationem forma-  
rum quamvis, etiam eam, quâ sine sectione ac divisione fit mul-  
tiplicatio traductio relata est. Unum hoc præ se ferens, quod  
generans genito communicet formam, non quidem per divisio-  
nem, nec per transfusionem, sed per novam novæ formæ, specie  
quidem ejusdem, numero verò diversæ productionem. Quem-  
admodum enim ibi arbor ab arbore, species à specie, anima  
ab anima pronascitur: Ita & hic brutum à bruto, homo ab ho-  
mine, metallum etiam à metallo provenit. Semina aut  
seminalem rationem habentia media sunt, quibus veluti sur-  
culis & ramis illa formarum multiplicatio fit. In animalibus  
tantum cum interveniat sexus, juncta ac mista semina  
mares ac femellæ unius tuentur vices. Hæc enim causa-  
rum sociarum ratio, ut stent pro unâ, sicuti totam rem sa-  
tis luculenter expeditam dat *B. Sperlingius in Inst. suis Phys. &*  
*alibi*, cum primis verò in disputat, suis quas habuit *de Tradu-*  
*ctione formarum in Mineralibus, Plantis &c.* Ut maneat in-  
victum argumentum illud: Quicquid sibi simile generat &  
juxta speciem se multiplicat, id formam ipsam in generatio-  
ne communicat. Homo, brutum, planta omneq; gene-  
rans sibi simile generat & juxta speciem suam se multiplicat.  
Ergò, homo, brutum, planta omneq; generans formam  
C ipfam